IANI PANNONII EPISCOPI QVINQVE-ECCLES: ILLIVS ANTIQVIS

vatibus comparandi, recentioribus certè anteponendi, quæ vſpiam reperiri adhuc potuerunt, omnia.

OPERÂ Ioannis Sambuci Conſ: & Hiſt: Cæſar.

Mv. A. 1116

Cum Priuilegio Sac: Cæſ: Maieſtatis

VIENNÆ AVSTRIÆ
ex officina Caſpari Stainhoferi,
M. D. LXIX.

LECTOR.

Altera libri pars, cuius foliorum numeri sunt notis Romanis insignes, tota nunc primùm in lucem prodit: Olim quoq; extabat altera. hæc te scire volui, vt in colligando, vtramcunq; partem velles, præponeres, quòd initio, antea vulgata his connectere, non constitueramus.

IOAN: LISTHIO, ELECTO Vesprimiensi, Procancellario Vngariæ, Consiliario Cæsareæ Maiestatis, &c.

Ioan: Sambucus S.

SI, QVIBVS Respub: Imperiaque plurimùm continentur, ea, vt apud alias gentes, in Vngaria quoq; viguissent: non minus, credo, florentem omni genere bonorum patriam, atq; illã perpetuam cerneremus: literarum studijs, & disciplina morata. Quorum quidem alterum semper negligentissimè habitum, alterum etiam illius destitutum ope, dissensiones atq; bella domi fatalia concitarunt. Et quanquam negari nequit, fortitudine atq; scientia vsuq; militari qui nostros antecellant, esse hodiè nullos: nisi tamen consilijs prudenter initis, & ad quosuis casus instructis, concordiaq; principum amabili res administrentur, labi nos, atq; periclitari sæpè in magnis necesse est. Ea re Thurca summæ nunc saluti nostræ imminet, nisiq; statim corroboremur, salui esse nequeamus, calamitosamq; regni euersionem dolis, viq; allata sit daturus: nunquam ille cessabit gurges heluari sanguinem Christianum, non ex visceribus nostris se replere, ossibus arces ad cœlũ extruere, cunctaue propria, nisi DEVS auerterit, sibi dicare. Quòd autem literarum elegantia, & quibus ad humanitatem informamur, commodè in Pannoniam vocari, excoliq; cum laude potuissent, exterorumq; admirationem inuenire: magna semper omnibus fuit opinio, & quotidiè crescit. quòd nec ingenia nostris, neq; conatus, minus voluntas defuerit. Quòd si fortè tot bellis, quibus perpetuis illigamur, viq; intestina, & externa labefactatã, impeditamq; dicas: quæro idem ego, cur saltem

quò Tyranni furor nunquam peruaſit, ijs in locis ſcholæ literatæ non fuerint, Scriptoresq; boni quibus expoliremur, recepti? Certè verò, ingenia literis contigiſſent, qualia, haud ſcio, an vllis gentibus: ita copioſa, & ad Muſas comparata vniuerſa videntur. Quam quidem laudem cum adhuc nonnullis partibus retineamus: tùm de remotioribus à memoria noſtra, velut clariſsimũ quoddam ſidus præluxit Epiſcopus hic Quinqueccleſiarum. Etenim, vt ſcis, non ſolùm æquales ſuos, opt artium ſtudijs, & imprimis Poetices commendatione ſuperauit: verum cum omni antiquitate certaſſe de opinione, vel ex illo ad Paulum conſtat: Carminibus noſtris nocet illud &c. Quam etiã non poſtremã tuliſſet, niſi morte preuentus, ad immortalitatem commigraſſet Atq; eam ad excellentiam etſi natura illi ſubſidium non vulgare ſuppeditabat: labore tamen & conſtantia eſt aſſecutus, vt nihil anticipatum attuliſſe, nihil præparatum ad literas: omnia lucubrationibus, exercitatione peperiſſe omnia ſit viſus, exemplaq; non obſcurè præferant. Multa ſcripſit, meditatus eſt plura numeris, & perpetuo ſtilo: quorum quidem optima quæq; vel interciderũt, vel potius, ab odio, & inuidia ne lucẽ aſpiciant, ſuoq; tempore iugi fruantur, alicubi premuntur. Annales patriæ heroicis ipſum verſibus vno in volumine colligaſſe, multi norunt: quibus conficiendis quantum ipſe ſe ſuperarit, facile ex admirãda Marcellina Panegyri (quam vnà cum alijs, doctiſsimus, & felix poëta, Hilarius Canciuncula Venetijs edi curârat) quiſq; ſecum cogitabit. Tomyris laudes, Trottæ conſtantiam, & ſimilia quis non requirat? Si apparerent, elegantiã, maieſtatem, copiam nõ agnoſceret? Τὸ καλλὸς ὀγκῶλες, κὴ κατὰ φῦσιν λειρόθατε non ſtuperet, imitatione ſimilitudinem conſectaretur? de cuius ratione in meis de Poetica commentariolis ad Horatium iam olim ſatis eſt diſputatum. Neſcio quàm nos eius populares monumenta æſtimemus,

illud

illud non reticebo, Italos, Gallos, & Germanos totis hemiſtichijs facultatem, & ſpiritum Iani apertè imitatos. Sed quam laudem B. Rhenanus antè annos quinquaginta minimis quibuſdam epigrammatis eius viſis, Pannonio quoque tribuerit, ex epiſtola ad Iac: Sturmium ſubijcio. Sic huius me lectio totum rapuit, vt ſi cuius veteris aliâs. Habet enim carmen non anxiè cuſum, ſed planè inelaboratum, & maiore ingenio quàm cura fluens. Prætereà reconditam eruditionem in Panegyrico oſtendit, tantum fabularum, tantum hiſtoriarum intexendo Sunt nonnulli, quibus parùm placet, quicquid noſtrum vel ſeculum, vel ſolum protulerit: à quibus ego longè diſſentio, quippè qui Ianum, & Eraſmum, tametſi hunc Germanum et recentes, non contemptiùs lego, quàm Politianum & Hermolaum: imò quàm Maronem Tulliumúe, quòd mihi perſuaſum habeã, huius temporis dicendi modum non minus noſtro ſæculo, quantum ad eruditionem attinet, conferre, quàm vel Tullij, vel Quintiliani, &c. hactenus ille. Quid ſi hæc ille vidiſſet, quæ nunc profero? Bruti, & Galbæ in Plutarcho vitæ Latinæ, huic omnino interpreti ſunt tribuendæ: quod ipſum de libro Veronæ à me viſo, et à Guarino emendato, teſtis oculatus confirmo: qui pro Cteſiphonte huius ipſius quoq; verſionem penè abſolutam habeo. Atq; cùm illorum maiorum noſtro malo, temporumq; vitio recuperatio ſit optanda potius, quàm ſperanda: minora hæc, & iuuenili, ſubitoq; feruore obiter effuſa non ſunt obſcuranda: quæ cùm per Italiam & Vngariam ſolicitè conquiſiuiſſem, tuq; etiam aliquot, è naufragio tabellas velut reliquas adieciſſes: legi cũ nominis tui vſurpatione, notaq; eſſe volui. Nam cùm vetuſtatis penè nimiũ ſtudioſus quibuſdã videar, nec pauca eius ſenſus iam exempla extulerim, porroq; conſtanter idem ſim facturus: tùm verò huius præſulis cogitationes ita reuereor vt niſi aliquando expedita ſuo tanquam

natali ſuſcipiantur, omnibus ſit non parum dolendum. Quæ verò præter anteà dudum edita, cunctis nunc patent, ſanè tuo patricinio nituntur: ac licet quidē Ianus nondum firma conſtitutaq; ætate illa, minus ſacerdotio deſtinata luſerit, & quidē Italia magiſtra: bonis tamen & ad conficiendum aptis ſtomachis grata erunt: quos verò vel beta offendit, eunuchis ſuos caſtratos Poëtas linquamus: quodq; Tullius dicebat, ſine contumelia hos dimittamus, cùm boni viri ſint, &, vt ſibi videntur, beati. Vtinam quidem annales eius aliquando Viennę conſpecti & lecti prodeant, carceresq; perfringant: non ſecus, me Deus, atq; Ciceronis, aut Liuij quæ perière mecum excipienda ducerem, tantùm quiſq; huic vati iurè tribuendum cenſeat. Quòd ſi Vulcano, vel Iſtro ſunt tradita, vel, vt quidam non diſſimularunt, excrementis humanis loco abdito, foraminibusq; putruêre, manes inuidorū luāt pœnas: quòd φθόνος ἔξω τῆς φύσεως θεόνδε ἵσταται, vt eſt in Phædro. Devita iſtius vatis, qui Mathiæ regi fuit carus antea Patauij, quod ſciebam, ſignificaui: ſed omnia nunc ex quarta Decade Bonfinij à me nuper laborioſè quidem ad editionem comparati, ſed negligentia, & quæſtuoſa feſtinatione impreſſorum ad mercatum Francfurtenſem deprauatiſsimè electi, vberiùs poterunt repeti. Quem quidem Bonfinium breui locupletiorem, emendatioremq; habebimus: iſtudq; prǫmoneo, ne quiſquam vitio mihi, aut negligentiæ vertat, ſi typis ac prælis labeculæ additæ, quibuſdam horridis, ac in alienis ſuffænis moleſtius accipiuntur. Tu verò Liſthi, qui à Muſis nunquam abhorruiſti, cuiusq; hæc numis vulgantur, me de ſtudio in Ianum amabis, ſimul cum tui ordinis hominibus patriam, modò non extremè iacentem, eruditis ſcholis ſuſtinebis, præmia Doctoribus ampla, & idonea definies: vt habeamus plures, qui iuuare cōmunes res, atq; ornare poſsint. Cæteroqui hanc dignitatem quis vobis, niſi ad gratiam, fictęq; gratuletur? quis,

quis, niſi cæcus, vel adulator, non publicè vos viuere, patriamq;, & vniuerſam amare ſalutem, ſed priuatim, auareq; fateatur? Retinete, quæſo, cuius antea memini, laudem, & authoritatem veſtri magiſtratus illam veterem, quam ſcitis omnia ſanctè accurauiſſe: non res aliæ potius, neq; occupationes, quàm religio vos teneant Eam puram in pectora vobis creditorum inſinuate, exemplis obligetis animos, grauitate comprehenſos in cœlum rapiatis. Vos alij obſeruant, vos ſpectant, quos ſi offenditis, magno cum veſtro dedecore, maiore eccleſiæ periculo, ac iniuria diſcedunt: Sin ſacerdotij dignitatem, veritate, doctrina, moribus, liberalitate commoda teſtatam iuſtè tuemini, facilè ſequuntur, præconio exornant ſempiterno. Quod autem rogo, atq; hîc cupio, parata ſine moleſtia erunt, cùm multa, & prolixa Symbola, vt Philoſophi loquuntur, ad hunc effectū reſtent, nec parum iam velint: præſertim verò D. D. R. R. Paulus Bornamiſſa, Prorex, & Epiſcopus Tranſiluaniæ (quos hic teſtes, & quantos nomino?) Antonius Verantius &c Agrienſis, Georgius Draſcouicius Zagrabienſis, banus Croatiæ, Stephanus Radecius noſter Varadien: in negotijs diu peregrè verſatus, tùm alij multi. vt quod ab exteris ſæpè audiui, omnino verum ſit: nullum regnum plures idoneos, & ad omniū vſum copioſius natos præſules ſemper habuiſſe. Verùm hæc alij, à quibus habeo, canant. Vale, ex Muſæo noſtro,

Idib: Mart: 1569.

VIENNÆ.

Sambucus ad I. Pannon.

IANE, quis tua ſpiritus repleuit
Suauis pectora? quæ plagas dearum
Incultas ſubijt, Scythaſq; vico
Andino fidibus placere fecit?
En quò ſe extulit Iſter ominoſus?
Vt iungit Tiberi ſuos liquores,
Permeſſumq; rigans, vehit nouenas
Cum lauro ex Helycone iam ſorores?
Annales, vtinam, laborioſi
Prodeant, patriamq; corruentem
Virtutis moneant, ſpeiq; auitæ.
Quis maiora poteſt tuis camænis?
Aut ſperet numeros diſertiores?
Tecum barbaricis poëta regnis
Exul viuere Naſo maluiſſet,
In diraq; tomo, & gelu peruſta
Quiduis ferre miſer, moriq; : ſit
Quàm Sulmone diu frui beata.
Quid ſi fortè Maro Aonum relictis
Aris, duceret ad tuas Sacerdos
Voto laurigeras lubens ſorores?
Viues carminibus perenne vates,
Claraq; ingenij virûm per ora
Vigebunt magè cogitationes.

IOANNIS EPISCOPI QVINQVE ECCLESIARVM PANEGYRICVS PRÆCEPTORI Guarino Veronenſi.

PRÆFATIO.

PHyllirídæ monitis cùm profeciſſet Achilles
Edoctus pariter gramina, tela, chelym,
Nõ Labyrinthæos relegentẽ Theſea flexus
Antè, nec Alcidæ monſtra perẽpta manu,
Nec ſæuum Oebalio proſtratum Bebryca cæſtu,
Nec matris fertur concinuiſſe thoros:
Semiferi laudes quàm præluſiſſe magiſtri,
Illa fuit teneræ prima Camœna lyræ.
Vix dum fila leui tentarat tinnula plectro,
Aſpiceres placidas accelerare feras.
Iuncti gryphes equis, lepores venêre moloſſis,
Contulit accipitri blanda columba latus:
Non tigrim ceruus tremuit, non dama leonem,
Sedit & hirſutis agna propinqua lupis.
Mobilis Oetæo de vertice ſylua cucurrit,
Nuper ad Herculeos ſylua reciſa rogos.
Nudus Athos mutila Lemnon non attigit vmbra:
Repſit ad auditos Pindus, & Oſſa modos.

AD GALEOTTVM Narnienſem,&c.

SI, Galeotte, meo te collaudauero verſu,
Det veniam nobis cætera turba, precor.
Quippè licet multos habeam prædiues amicos,
Vincitur à meritis cætera turba tuis.
Et ſi verſiculos facio non prorſus inerteis,
Doctrinæ fateor munus id eſſe tuæ.
Per te conſcendi celſas Heliconis in arces,
Gorgonei fontem pes vbi rupit equi,
Per te Parnaſſi peragraui roſida Tempe,
Tu monitor, tu dux, tuq; magiſter eras.
Accipe nunc carmen, quod nobis ante dediſti:
Collati fructum muneris auctor habe.
Par eſt, vt carpat de palmite vinitor vuas:
Cultori meſſem reddere debet ager.
Et iam vt propoſitas exordiar edere laudes,
Imprimis patriæ nobilitate nites.
Nemo adeò eſt amens, quin Vmbros præferat agros,
Omnibus Italiæ fertilitate locis.
Nec quoq; gauderet ſe hac gente Propertius ortum,
Ni ſtudio belli, ni foret apta togæ.
Vrbs ibi conſurgit prærupti in vertice ſaxi,
Nobiliumq; ducum, Pontificumq; parens.

Cui victrix forteis tranſcripſit Roma colonos,
Nar fluuius nomen, mons Nituusq; dedit.
Hæc tibi ſat claræ genus haud ignobile ſtirpis
Præbuit, & quantas exigit vſus opes.
Quæ cum corda fero producat idonea Martı,
Bella quibus ſemper ſanguinolenta placent:
Tu potius Phœbi voluiſti euadere miles,
Haud veritus cytharam præpoſuiſſe tubæ.
Nam ſimulac teneri permiſit floſculus æui,
Cœpiſti Muſis inuigilare ſacris.
Donaſti viridem caſtris tamen inde iuuentam,
Et ſatis hac etiam parte peritus eras.
Rurſus te ſæuis ſtudium reuocauit ab armis,
Et tibi Theſpiadum ſigna ferenda dedit.
Nec te militiæ miror tentaſſe laborem,
Herculeo dignum robore corpus habes:
Præcipuè fortem ſcis exercere palæſtram,
Et ſuperas cunctos ſtrenuitate viros.
Sed non eſt tantum robuſto in corpore laudis:
Ingenio quantus ſemper habetur honos.
Hoc te bellonæ ſuaſit præferre Mineruam,
Doctaq; poſthabito numina Marte ſequi.
Multa pererraſti Latiæ vagus oppida terræ,
Pectora dans doctis erudienda viris,
Demum Ferrariam felici es ſorte profectus,
Et Phaëthontæi flumina clara Padi.

EPIGRAMMATA EIVSDEM PAN: ET LVSVS IVVENILES.

Andromeda pugnante Perseo.

ME miseram quæ triste manet fortuna duellum,
Cur mea nunc grauius, q̃ modò, corda pauent?
Hærebam duris, fateor, nimis anxia saxis,
Propugnator adhuc cùm mihi nullus erat:
Ipsis iam vinclis, vtinam, fera monstra vorassent:
Me prius huc volucrem quàm tulit iste gradum.
Indefensa quidem, sed certè sola perijssem,
Nec nostri cuiquam Lethifer esset amor.
Nunc timeo, pereat ne insons, seruare nocentem
Dum studet, & pietas sit sibi causa necis.
Quid tibi nobiscum, pulcherrime, non ego mater,
Non ego sum coniunx, non tua chara soror:
Vt tanto nostram quæras discrimine vitam,
Impulsus non vi, non prece, non precio.
Vel forsan mouit nostræ te gratia formæ:
Haud ego sum tanti, nec genus omne meum.
Me fatis permitte meis, tu sospes abito,
Quæ secet aërias est tibi penna vias.

Dum loquor è medijs ter se ardua sustulit vndis
Belua, ter fuso contigit astra Salo.
Heu, quam vix diros fugit celer ales hiatus,
Qui penè occasus occidit antè meos.
Dij, si quos lingua Genitrix non læsit iniqua:
Hoc vos iam solùm, viuat vt ille, rogo.

De Borsio Duce Ferrariæ.

QValis vbi plena per noctem lampade fulsit
Pallida mox orto Cynthia fratre, latet:
Succedens prima Leonellus talis in aula
Splendida Germani Borsius acta premit.
Comprime plangores, cohibe, Ferraria, luctus,
Iurè potes fatis parcere, iurè Deis.
Quod rapuere tibi, cumulo en maiore refundunt,
Ingenti pensant & tua damna lucro,
Fœlix, qui tanto redijt cum fœnore iactus:
Quæ sic conualuit plaga salubris erat.

De Vincentino quodam nauigante.

VIncentinus eques tumidi rudis antè profundi,
Miratus Venetæ, dum redit, vrbis opes:
Post vomitus crebros, & versum penè cerebrum,
Post fractum rigido robore molle latus,
Contigit vt littus, non me vehet amplius, inquit,
Ad culum quisquis frena caballus habet.

Inuitat Regem Mathiam.

SIC tibi, ſed ſerò, pateat domus aurea Diuûm,
Mathia, Regi, rex, adamante loui.
Hucades, & noſtris ſuccede penatibus hoſpes:
Nec modicum princeps deſpice magne larem.
Fertur & immenſi pacator maximus orbis
Parua molorcheæ tecta ſubiſſe caſæ.

Ad Marcellum.

QVod fuit aſſluto pugnax Ætolus Vlyſſi,
Quod duro Telamon Amphitrioniadi,
Quod fuit inflexo mitis patroclus Achilli,
Formoſo Niſus quod celer Euryalo,
Quod fuit è Thebis profugo Calydonius exul,
Pyrithoo caſti quod pater Hippolyti,
Quod fuit Emathius domitori hepheſtio rerum,
Trux Epaminondæ quod Pelopida ſuo,
Quod totidem Lybiæ Victoribus vnus & alter,
Lælius Auguſto quod fuit ipſe gener:
Hoc tu magnanimo nunc es, Marcelle, Renato
Felix, qui regum dignus amore venis.

De ſeipſo.

NVdus humum ſcandi, nudus terræ ima ſubibo,
Quid fruſtra afflictor nuda ſuprema videns?

De amore

De Amore.

AD fontes quidam formatum erexit amorem:
Dum putat has vnda extinguere poſſe faces.

Ad Theodorum.

MEntiris, Theodore, miſer, ſunt numina cœlo,
Nec vacat omnino regia celſa poli.
Nil ſentis, Epicure, Dei mortalia curant:
Nec fruſtra in terras fulmina torta cadunt:
Numina clamemus, ſunt, & mortalia curant:
Pendentem poſtquam cernimus Ambroſium.

Ad Leonellum Ferrariæ Ducem.

QVod Leonelle tuam Princeps acceſsimus vrbem,
Arctoi gelido nuper ab axe poli:
Da veniam, non nos rerum inclyta fama tuarum,
Nec domus auguſtis ſplendida traxit auis:
Nec tua præfulgens varia Ferraria cultu,
Nec ſeptem gemini brachia amœna Padi,
Non oculos, auidas huc paſcere venimus aures:
Quarum Guarini manat ab ore cibus.

Populos non producere electrum.

QVid manifeſta Deo canitis mendacia vates,
Non placet id Phœbo, verum amat ille Deus.

 At vos

MV tua da ſeptem, ſuperos, & ſidera teſtor,
Semper debebo, Bartholomæe, tibi.

Ad eundem.

NON idcirco fidem læſi, quod credita nondum
Perſolui, cædam, ſi data reddideris.
Nam benè, ſi memor es, ſemper debere, nec vnquam
Reddere iuraui, Bartholomæe, tibi.

In Excomunicatum.

INterdicta tibi eſt hominum communio, & audet
Vadere nemo vnà, nemo commeſſe ſimul.
Aſt ego, cenſuræ quamuis id, Marce, iuberent:
Nec conuiua tibi, nec comes eſſe velim.

In Sclauoniam.

PARS ea Pannoniæ, quæ nunc Sclauonia fertur,
Pagos complures, oppida nulla gerit.

In ſuperflua quæritantem.

HOC vnum ſemper quæris, ſuperet ne Maronem
Tulliæ, an maior ſit Cicerone, Maro.
Neſcio: verum illud, bellè ſcio, quod tibi nunquam
Eſt viſus, Procopi, nec Maro, nec Cicero.

Epitaphium Leonelli Ducis Ferrariæ.

PRincipis hîc artus Leonelli terra recepit:
Aſt animam reducem lacteus orbis habet.
Huc illam pietas, huc virgo Aſtrea leuauit,
Huc cum pierio docta Minerua choro.
Quòd ſi dexteritas, nitidæ ſi gratia formæ
Corporeum pariter tollere poſſet onus:
Quà ſolum nunc parte ſui tellure recedit:
Hac etiam ſummo fulgeret ille polo.

Artemiſia ad Mauſolum.

IN cœlum poteram ſi te, dulciſſime coniunx,
Tollere, cœliferi pondus Atlantis eras.
Quod licuit pelagi fluida nec merſus in vnda,
Nec tegeris vili contumulatus humo:
Sed leuat arte noua ſuſpenſum tertius aër,
Mortales vltra non valuere manus.

In Vitum.

NOmine te vitulum qui dixit, Vite, minuto,
Verius hic potuit dicere, Vite, bouem.

De Marſilio Ficino.

NVper in Elyſijs animam dum quæro Platonis,
Marſilio hanc Samius dixit ineſſe ſenex.

De Bizancio.

PRima mihi Odryſius prætendit mœnia Bizas,
Proxima Amiclæo debeo Pauſaniæ.
Hæc poſtquam Lybici trux verterat ira Seueri,
Abſtulit auguſtis qui ſua regna tribus:
Reddidit hinc lapſos mutato nomine muros,
Dum ſecat auſonium Flauius imperium.

In Proſperum.

QVàm te Proſper amem, potes hoc agnoſcere ſolo;
In cœlum è terris te quòd abire velim.

De agna quæ lupum pauit.

AGna Lupum paſco proprijs inuita mamillis,
Paſtoris fatui ſed iubet imperium.
Nutritus per me rurſus, ſcio, ſæuiet in me,
Vertere naturam gratia nulla poteſt.

De Theatro Veronenſi.

ESt tibi proſtibulum, quod erat, Verona, Theatrum,
Aſſiduè Floram nunc colit ille locus.

De Grillo.

CVM tu, Grille, ſonas, reticent per prata Cicadæ:
Malo ſonent illæ, dummodò tu taceas.

Clytem-

Clytemneſtra ad Oreſtem.

IN ventrem ne tuum, vel mammas dirigis enſem?
Hæc te mamma aluit, venter at iſte tulit.

Ad libros ſuos.

VOS, Ouidi, Lucane, Maro, ſi fortè poteſtis,
Mutua præſtetis bis mihi, quæſo, decem.
Ceſſatis? iam vos faxo Iudæus habebit:
Qui ſeruat magnæ lintea iuncta viæ.
Iſtic ignaui tineas, & paſcite mures,
Nil opus eſt veſtris nunc mihi carminibus.
Nunc opus eſt numis, quarto vos menſe videbo,
Venerit incerta ſi quid ab Vngaria.

In Iudæum fœneratorem.

LVcanum & iuncto pariter Naſone Maronem
Redde mihi, Iuda, ſeu mage tu Salomon.
Quid dubitas? ego tres olim dedi nempè libellos
Inſpice ſi lani cartula nomen habet.
Quis modus vſuræ? ſortem inquis, fœnus adæquat:
Si verum dicis perfide, non redimo.
Hìc pereant, tanti vix illos auctio vendet.
Inſanit ſuamet pignora quiſquis emit.

Ad Mathiam Regem.

Quæ

QVÆ te vltra tellus, quæ te feret, Inclyte, Regum?
Quis non auditas procidet ante tubas?
Quandoquidem ſæui tibi iam ceſſere Boëmi,
Haud vnquam externum natio paſſa iugum.
Si venit inſignis de quolibet hoſte triumphus:
Hactenus inuicto qualis ab hoſte venit?

Ad Mathiam Regem, de Leonibus. per Florentinos miſsis.

NON tibi, Mathia Rex inuictiſsime fruſtra
Gens Maſſyleum miſit Hetruſca pecus.
Multarum fecit par conuenientia rerum:
Hæc meritò poſsint vt tibi dona dari.
Tu princeps hominum, princeps leo nempè ferarum,
Nobilis ille iuba, pulcher es ipſe coma.
Vnguibus ille ferox, gladio tu fortis, & haſta,
Parcere tu victis, parcere & ipſe ſolet.
Quid? quod idem ducibus clarum eſt inſigne Boëmis:
Grande noui ſceptri, ſcilicet, omen habes.

De eodem.

IVnge, licet, ſacros iunge ad tua frena leones,
Hoc tibi, Mathia, dat Cybele ipſa decus.
Seu te per terras vectari fortè libebit,
Non cadet illorum ſub pede læſa ſeges:

Siue

Siue voles Pelago Neptuni currere ritu,
Planta leuis ſumma non madefiet aqua:
Tu tamen in cœlum potius, ſed ſerus, abito,
Norunt has etiam talia monſtra vias.

De eodem.

NIL eſt magnorum, Mathia maxime Regum,
Quod iam dite petas amplius è Latio.
Tota tibi in varios Oenotria certat honores:
Quælibet & proprias ora miniſtrat opes.
Aurum Roma parens, Veneti ſua ſerica mittunt,
Præbet cornipedes Appulus, arma ligur.
Contulerat nullum Florentia ſola tributum,
Quæ nunc Marmaricas obtulit, ecce, feras.
Dignum te noſtro. vectigal & illa pependit,
Iudicio, fortem fortia dona decent.

De eodem.

HAud leuiter quondam lætatum Euryſthea dicunt,
Nec decus id titulis vile putaſſe ſuis:
Alcides cùm prima viri mandata ſecutus,
Torua Cleoneæ protulit ora feræ.
Clarior at quantò eſt Mathiæ gloria Regis,
Cui venit hic longè, ſed duplicatus honos:
Quippè illi extremis geminam, nec iuſſus, ab oris
Spontè tua mittis, monſtrifer Arne, iubam.

De electione Mathiæ Regis Vngariæ.

DVM videt Vngarici euectum ad fastigia regni
Mathiam presso gutture, coruus ait:
Illa ego vexillis ales gestata paternis,
Iam fateor geminæ cædere læta cruci.
Sim, vel sculpar adhuc, vel pingar fortè sub illa,
Ingens & voto gratia maior erit.

Imprecatio pro Rege Mathia.

REX pia Mathias in Turcas bella resumit,
Huic, age, de toto numina adeste polo.
Da clauam Alcides iuueni, da Phœbe sagittas,
Mars gladium, Pallas Gorgona, Castor equum,
Mulciber arma para, non vllis peruia telis:
Qualia Pelidæ, Dardanioue duci.
Hunc inter pugnæ certamina vulnere ab omni,
Ægide prætenta, Iupiter, ipse tegas.
Quòd si lenta iuuant residis vos ocia vitæ:
Solùm siderea mittite ab arce patrem.
Sufficit ille suo custos in prælia nato:
Ille modo in cœlo missile fulmen habet.

Conqueritur de mora Regis.

HOrrida sæuit hyems, & adhuc, Rex inclyte, bellas:
Excutiunt densæ nec tibi tela niues.

Ipsos

Ipsos triste gelu vaginis detinet enses,
Nec possunt rigidæ fræna mouere manus.
Tu tamen & pugnas misces, & mœnia frangis:
Tantum vel Martis, vel genitoris habes.
Ocia iam placeant, castris mox ritè locandis
Commodiora noui tempora veris erunt.

De captiuitate Dracolæ, Vayuodæ Transalpinen:

DIcite Io Pæan, captus fert vincla Tyrannus,
Si modò non falsum publica fama sonat.
Dicite rursus, Io Pæan, & carmine festis
Pierides Nymphæ iungite festa choris.
At tu cui nullo decus hoc cum sanguine venit,
Vt quid iam medio frigore victor abes?
Hoc vnum cuncti te supplice voce rogamus,
Redde tuos vultus, rex venerande, tuis.
Sin populi nil vota mouent: hoc sponsa precatur,
Hoc genitrix, an & his, dure, negare potes?

Conqueritur Mathiæ Regis moram.

DAlmatici montes, & vos septemplicis Istri
Cærulea Euxino cornua mixta mari,
Ac tu Romanis olim possessa colonis,
Sed iam corrupto barbara terra sono:

Talis erat nondum famulorum præda ſuorum,
Compos adhuc mentis, verſus Agenorides.
Quis iam adeò ferus eſt, tibi qui ſeruire recuſet,
Accipiunt ipſæ ſi tua frena feræ?

De iactura vitæ humanæ.

NOcte cadente orimur, nihil anterioris habentes
Temporis, excepit nos ſimul alma dies.
Semper & heſterni vitam deperdimus æui,
Principium reliquæ lux modò nata facit.
Eſſe tibi multos ſenior ne dixeris annos:
Nam de præteritis nil hodiè retines.

De Græco.

HAuſerat intentum ſtellis ſcrobs cæca Thaletem;
Cùm ſuper illudens talia dixit anus:
Tu qui fata alijs ſua pandere poſſe ferebas,
Neſciſti vitæ fata videre tuæ?

De Lepore & Vulpe.

DVM lepus inſtantes curſu non effugit vmbros,
Vulpinam ſubitò vanuit in foueam.
Cui vulpes, vos qui pedibus ſic fiditis, inquit,
Cernite quàm lentum plus valet ingenium.

*

IN latebris habita, ne te petat oris acuti
Cuſpide Pygmæis Grus inimica viris.

De Amyg-

De Amygdala in hyeme florente.

QVòd nec in Heſperidum vidit Tirynthius hortis,
Nec Phæaca Ithacæ Dux apud Alcinoum.
Quod fortunatis eſſet mirabile in aruis,
Nedum in Pannoniæ frigidiore ſolo:
Audax per gelidos en floret Amygdala menſes,
Triſtior & veris germina fundit hyems.
Progne, Philli tibi fuit expectanda, vel omnes
Odiſti iam poſt Demophoonta moras.

Omen.

QVem meus aligera venator cuſpide ceruum
Perculerat, raui diripuêre lupi.
Omine perturbor, ne forſitan improbus hoſtis,
Petre, tibi ſacras depopuletur opes.
Aſtra minantur idem: ſed tu ſanctiſſime mundi
Ianitor, in medium triſtia monſtra refer.
Summa tibi terræ, cœli eſt tibi ſumma poteſtas,
Soluere ſiue aliquid, ſiue ligare velis.
Quòd ſi non aptas hæc ad tutamina claues
Cauſaris, gladium te propè Paulus habet.
Armato manda collegæ prælia inermis:
Ille tuum ſtricto proteget enſe gregem.

De reſtitutis Thebis è Græco.